UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Evdoxivs M. 5. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

dixiſſes. Sub idem tempus cùm Friderici II. Imperat. factionem caſtigaſſent, cum omni familiâ urbe ejecta Sorianum venit. Sed exilium leve Angelis non multò pòſt morte Friderici libera patria fecerunt. Placuit tamẽ etiam præ hâc cælum, quod quò facilius videret, circa annum M. CCLIV. oculos clauſit. *Ex vitâ apud Moniales D. Roſæ.*

Nulla vel brevis hora ſubrepat, in quâ non habeas memoriam Filij Dei pro tuâ miſeriâ, & ſuâ miſericordiâ crucifixi. Quid faciet Dominus majeſtatis, ſi nos, qui cinis & pulvis ſumus, tantæ miſericordiæ viderit ingratos? S. Bern. op. de char. cap. 32.

S. EUDOXIUS M. 5. *Septembris.*

CLamat EUDOXIUS illud hodie nobis: *Exeat aulâ, qui pius eſſe cupit.* Certè quòd pietatem Chriſtianam coleret, licèt aulæ Imperatoriæ comes, aulâ tamen ejectus eſt. Sed neque extra hanc ferre in EUDOXIO Diocletianus potuit probitatem, ſed in vincula juſſit abripi, quaſi verò vinciri virtus poſſet. EUDOXIUS ubi adeſſe exploratores intellexit, needum notus menſæ admovit ſuæ, lauteque & perquàm liberaliter habuit. Inde ſuus ipſe jam proditor, lubens volens ad Imperatorem abiit, pugnaſque edidit, quas ſperare à voluntario Chriſti milite poſſet. Sed neque ſolus in aciem prodiit. Prodiêre cum Duce tam forti mille centum & quatuor, qui omnes ad tyranni pedes cum ſuperſtitione primò balteum, mox vitam etiam projecerunt. Atque hi quidem præivere triumphantem EUDOXIUM, qui ex equuleo veluti è triumphali curru accepta pro cæli patriâ vulnera jactabat. Secuti deinde ſunt amici integerrimi MACARIUS & ZENO, hic in ipſo loco ſupplicij ab

EUDOXIO,

EVDOXIO, ille à BASILISSA EVDOXII conjuge ad triumphi pompam invitatus. Itaque non ſæpè cælum tot armatos unà recepit. Agite tamen, ô Sodales Mariani! non ideo ſubire cæli mœnia minùs contendite; liberalior DEVS Romulo eſt; coronam auferet, etiam qui ultimus tranſcenderit. *Ex Metaphr.*

Si fidem & fiduciam tuam jactes in livores & vulnera Crucifixi, & in tuæ ſalutis uſum convertas memoriam Dominicæ paſſionis, erit ſanguis ipſius pretium redemptionis tuæ, mors ejus convertetur ad vitam, dolor ejus in gaudium tuum, in tuum honorem ejus opprobria. S. Bern. de char. c. 34.

S. ELEVTHERIVS ABB *6. Septembris.*

MInimam laudem à noſtro calamo ELEVTHERIVS accipiet, qui maximam jam olim à Magno Gregorio accepit. Summa eſt, D. Gregorium ſub ultimum verni jejunij diem, inediæ, ob imbecilliorem ſtomachum, ſuccubiturum fuiſſe, niſi pulpam latranti ELEVTHERIVS preces ſuas objeciſſet. Id beneficium Gregorius non modò ſtylo, ſed facundâ etiam picturâ in templo locutus eſt. Quin & mortuum ajunt ab ELEVTHERIO precibus denuò animatum; ſed nos dæmoni ereptam prædam laudamus. Fortè ex itinere Divus ad ſacrum Virginum Aſceterium diverterat, in quo puer agebat atri genii obſes. Non auſus eſt eâ nocte malus hoſpes puerum torquere, ſanctiorem hoſpitem veritus. Itaque ille domum patronum ſuum ſequitur. Hîc etiam pacem crederes: ſed induciæ tantùm erant. Dum enim ELEVTHERIVS alieni cœnobii vires elevat, ſuas laudat, redux velut ex inſidiis hoſtis ſolo adoleſcentulum